IOH. GODOF. BVCHNERI

CONSIL. RVTHENO - PLAVIENSIS ET AB ARCHIVIS SECRETIOR. etc.

EPIST. II.

DE

MARMORIBVS

IN

VOIGTLANDIA.

AD

DOMINVM
FRANCISCVM ERNESTVM
BRVCKMANNVM,

PHIL. ET MED. DOCT.

MDCCXXXIII.

Dn. Brockes irrdisches Vergnügen in GOTT.
P. IV. pag. 221.

Der Hof ist wie ein Bau von Marmor aufgeführt,
Da viele Höflinge sehr hart, doch sehr polirt.

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE AESTIMATISSIME.

Inter alia curiosa naturalia, quibus nostra gaudet Voigtlandia, ex postremis minime sunt tam varia *Marmorum* genera, digna omnino, ut & sedulis lapidum amatoribus et Patriae donorum scrutatoribus innotescant. Etenim ex sententia *Agricolae de natura fossil. Lib. VII. cap. I. p.* 622. lapidibus ista pretiosis magis adhuc accedunt, quam vilioribus. Sic marmor egregium *coloris punicei, curiosis figuris nigris notatum*, schön brauner mit artigen schwartzen Zeichnungen, effoditur ad laterariam urbis Curiæ Variscorum, *obscure brunnum, nubeculis gryseis & rubicundis speculis figuratum*, dunkelbraun und grauwolckigter Marmor mit röthlichten Spiegeln, ex lapicidina inferiori, auf der Geigen, non procul Curia Variscorum, egregium pariter *pallideque rubicundum* dictum spiegelfleckigter Marmor, ex Seydelsbruch ejusdem loci, nec non *brunnis & obscure luteis nubeculis, admodum miras repræsentantibus figuras*, notatum marmor, braun und dunkelgelb gewölckter sehr artige Figuren præsentirender Marmor, cujus lapicidina est ad pagum Gattendorf, qui dimidia hora Curia Variscorum distat, item *paulo obscurius* ejusdem loci. Porro marmor *saturate rubicundum* in-

instar speculi politum, *brunnis & obscure atris venulis* ex Seydelsbruch auf der Geigen, ad urbem Curiæ Variscorum; *clare* quoque *lucideque & obscure gryseum* prope politum ac optimæ notæ marmor foditur ad officinam laterariam Curiensem. Idem *venis nigris uti & gryseis*, *albis* speculis notatum, auf der Geigen, ad Curiam Variscorum repertum; ulterius marmor *cinereum*, *lineis venulisque admodum subtilibus nigris* cæditur post demum artificis, qui Curiæ Variscorum ad pontem dictum lapideum; saxa marmorea lege artis polit & perficit; nec non *nubeculis nigris* ejusdem loci, imo, *admodum clare lucideque gryseum* marmor, *venulis virides centibus* ex sic dicto loco Geigen, ad Curiam Variscorum, item marmor *ex omni parte nigrum*, *perpaucis albis venulis distinctum de* Deesendorf, ad Variscorum Curiam, im Kotzauischen Lehn; marmor etiam præstantissimum, *fundum clare lucideque gryseum monstrans*, *maculis carnei coloris*, *venulis viridibus*, *& guttulis clare lucideque brunnis distinctum*, ibidem datur; idem *venulis ad caeruleum vergentibus*, admodum curiose notatum ejusdem loci; sic & *album & gryseum coloris Lucii piscis*, Hechtgrau, egregie nubeculis notatum marmor, rarissime & in peculiari tantum terræ & lapidum fissura ad pontem lapideum urbis Curiensis cæditur; item *maculis nigris & luteis* ejusdem loci, ac *album* pariter *clare lucideque & obscure gryseum*, fluminis instar, egregie & rare figuratum; item elegantissime, speculi politi instar splendidum marmor, cujus fundus quoad dimidiam regionem *brunni*, quoad alteram vero partem *gryſei coloris* est, *venulis cæruleis*, ex Seydelsbruch ad Curiam Variscorum. Marmor quoque *nubeculis brunnis & cæruleis* notatum, *punctulis parvis & subtilibus* refertum ejusdem loci, item præstantissimum marmor, omni ex parte *ex rubro brunnum*, quod nihil certe a celebratissimo salisburgensium lapide marmoreo re-

recedit, cujus locus notalis est Sendelsbruch ad Curiam; ac tandem marmor egregrium, in quo *colores cani, brunni, clare lucideque rubri*, mirando Naturæ penicillo artificiosissime inter se commixti cernuntur ejusdem loci. Vid. *Dn. Brückmanni Epist. Itiner. XXIV. it. Villius Teuton. Paradis Pinnif. P. I. C. VIII. &c. P. V. C. II.*

Addit his perplura omnino adhuc possent, siquidem ibidem plus quam LX. marmoris præstantissimi numerantur genera. Nec minus iisdem quoque abundat, præcipue *albis ac nigricantibus* vicus Schwarzenbach. Adhuc magis autem propterea commendatur Plaviensis civitas, quare *Planerus in Hist. Varisc. p.* 60. hunc in modum de isto disserit marmore: *Quid marmore Plaviensi mirabilius? Cum enim per se præstans est, tum varietate coloris venarumque spectaculo intuentes in admirationem vertit, quidquod Principum oculos fascinat ac in amorem rapit.* Conf. etiam *Dn. Brückmanni Magnalia Dei in locis subterraneis.* Etenim non solum ibi extat *obscure gryseum maculis flavis interpersis*, sed & aliud *coloris carnei, venulis albis*, ac iterum alind *gryseum nubeculis brunnis & virides centibus* notatum, postremo autem *nigrum maculis ac striis albis.*

Ulterius Dynastia Schleiz præbet nobis marmor *obscure gryseum lineis albi ac carnei coloris.* In Dynastia vero Burgk marmor invenitur *nigrum, maculis albis*; item *rubrum, venis nigricantibus*, nec non *lucide brunnum, lineis obscurioribus* distinctum; ut & aliud *gryseum, maculis rubris item & simul albicantibus* notatum. Ac tandem Dynastia Gera non minus *Alabastro* gloriari potest, colore ad cinereum accedente, partibus interdum nigricantibus interspersis.

Sunt autem marmora ista ut plurimum durioris substantiæ, ac probe polita egregie splendent, suisque venulis, miculis, aliisque contentis & oculum & animum mirifice delectant. Ac quoniam probabiliter ex terra concrescunt lutosa & fluida, variis coloribus mixta; varios idcirco ostendunt lusus, tantaque apud nos eruuntur copia, ut merito inde, saxis divites sive Steinrich vocari mereamur; quare istud etiam *Virgilii* 4. *Æneid.* facili hic ad implendum foret negotio propositum:

Et viridi in campo templum de marmore ponam.

Cæterum suas habeat laudes Marmor Lacedemonium, de quo nimirum *Plinius in Histor. natur. lib. XXXVI. cap. VI.* jactanter admodum scribit: *Pretiosissimi quidem generis Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius*, cui *Plutarchus* pariter *Symp. lib. I. cap. II.* adstipulatur, *ac maximo* inquiens *quidem in pretio habebatur marmor viride*; ex dictis enim patet, nostrum isti neutiquam esse inferius, nec ullo cedere modo. Proindeque nullum omnino est dubium, ornandis maxime istud inservire ædificiis, nitidaque ex eo confici posse vasa atque utensilia, quæ in exteras deinde regiones advecta, cum aliis ibidem non sine lucro permutari possent. Liceat ergo in laudem ejus elegantissimos tandem *Dn. Brockes* im irrdischen Vergnügen in GOtt *P. IV. p.* 218. coronidis loco huc apponere versus:

Man kan in den Gebürg- und ihren Gründen
Von allen Farben Marmor finden,
So, wie man ihn verlangt;
Da bald ein helles Weiß im rothen Grunde prangt;
Da er bald braun, bald schwarz, vermischt mit weiß und grau,
Bald gelb, und grün so gar,
(Das selbst in Griechenland und Welschland wunderrar)
Bald

Bald bunt gesprenget ist, mit roth, mit grün, mit blau.
Wer bildet nun des Marmors bunte Pracht?
Wer hat die Felsen selbst so schön, so glat gemacht?
Derselbe, der der bunten Blumen Zier
So wunderwürdig färbt, der färbet gleichfals hier
Zu unsrer Augenlust, den Sand und schmückt den Stein
Mit tausendfarbigen Figuren, Glantz und Schein.
Und eben der verlieh auch uns den Witz
Denselbigen so künstlich zu polieren,
Da er ja sonsten uns zu nichtes nütz.
Wie solte denn auch dafür nicht
Der Allmacht, ohne die nichts, was geschicht, geschicht,
Erkäntlichkeit und Danck gebühren.

Scribebam Greizæ ex Museo A. 1743.

I. G. B.

